



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas IV. Explicatur Christi libertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

possunt petere dispensationem, licet possent copulari matrimonio: hoc ipso petere dispensationem otiosum foret; ita & in presenti. Illustrari hoc potest tali instantia. Ponat Deus prædeterminationem necessitatem ad bonum: conjungat illam cum potestate petendæ dispensationis, seu petendi, ut auferatur prædeterminatione necessitans: casu, quo non auferatur, non erit operatio libera, quia profecta à principio necessitante: nec sola præcisè potestas impetrandæ dispensationis, erit illativa libertatis: Ergo idem dicendum in presenti.

ADDO. Cum intelligitur Christus, posse petere dispensationem, pro illo instanti, pro quo instanti, pro quo moritur: vel intelligitur habere jam illam dispensationem, vel non intelligitur habere? Si intelligitur habere: Ergo non ex præcepto est mortuus: Ergo non salvas libertatem salvo præcepto: in quo tamen in presenti laboratur. Si non intelligitur habere dispensationem: Ergo nec intelligitur liberè mori: quod probatur. Quia qui habet potestatem petendæ dispensationis, & pro illo instanti, quo operatur, non intelligitur dispensationem habere, agendo peccat: Ergo & Christus intelligeretur peccare, si non moreretur: Ergo moriens non liberè moritur: nam si non moreretur, peccaret: non autem erat illi liberum peccare.

RESPONDEBIS ex Lugone. Quod illud de prædeterminatione, in presenti non teneat: nam prædeterminatio, tunc quando est, aufert libertatem, ad habendum tunc actum oppositum, aufert etiam indifferentem concursum: nihil horum habet illud præceptum.

CONTRA. Redit argumentum. Non salvatur libertas positâ prædeterminatione, nec salvatur, positâ eadem, collatio indifferentis auxilii: Ergo etiam idem in presenti dicendum erit: neque enim magis physicè determinat prædeterminatio, quàm physicè reddat impeccabilem persona divina.

NON SATISFACIT 3. Quia loca Scripturæ, in presenti explicatione, non accipiuntur simpliciter: neque enim possent gratiæ agi Christo rigorosè, quia pro nobis mortuus est; sed quia anticipavit mortem, quia dispensationem pro præcepto non petiit.

DICES I cum Lugo. Pro suâ sententia stare illa verba, Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.*

RESPONDETUR. Significari hîc non nisi, quod liberè mortuus sit, & voluntariè: sed non significari modum, quo erat liber: consequenter nec significatur quod ejus libertas staret in iure petendæ dispensationis. Quod ea verba non suffragentur intento Lugonis, deduci potest ex Maldonato, qui verba hæc explicat tali phrasi: Quasi diceret, inquit, putasne, si non scivissem decretum esse à Patre meo, ut morerer, non

potuisset me duodecim legiones Angelorum ab eo petere, cumque mihi daturum non fuisset? Quæcunque tandem loci hujus interpretatio ponatur, significabit tantum liberè Christum mortuum, sed non libertate salvabili, per solam petitionem dispensationis.

DICES 2. Explicatio hæc optimè concordat observantiam præcepti cum libertate: non enim potest major libertas excogitari, quàm ita acceptare mortem, ut possem non solum tunc, sed nunquam eam acceptare: & quia, licet haberet præceptum, poterat impetrare faciliè abrogationem præcepti.

RESPONDETUR. Per principia Lugonis, non ostensum, quomodo, supposito præcepto, potuerit nunquam acceptare mortem Christus, nisi petendo dispensationem? quæ petitio dispensationis, quod non salvet libertatem, dictum immediatè.

DICES 3. Martyr liberè moritur, quoad substantiam mortis, obligatus cæteroqui, ut in perpetuum non vivat, quia liberè anticipat mortem: ita ergo & Christus, licet fuerit necessitatus ad moriendum, liberè moritur, quia anticipavit moriendi tempus.

RESPONDETUR. Negando, quod martyr quoad substantiam liberè moriatur. Nam non est textus Scripturæ, qui ostendat liberum fuisse illi simpliciter non mori: est autem textus, qui ostendit Oblatum Christum, quia ipse voluit: qui textus loquitur de ipsa substantia, non autem de anticipatione. Sed posito etiam, quod Martyr liberè moriatur quoad substantiam: hoc inde est, quia non est impeditus, quominus possit habere actum: Nolo mori: per quem actum, tota substantialis libertas moriendi salvatur; neque enim aliter potest esse libera alicui mors, libertate in actu interno stante. Quia autem Christus erat impeditus, ne diceret: Nolo mori: ideo adhuc in Christo non salvabitur substantialis libertas moriendi.

DIFFICULTAS IV.

Explicatur Christi Libertas.

TENendum est quod docuit citatus Lugo, num. 100. non fuisse Christum liberum, quoad substantiam, in præceptis naturalibus servandis: quia ex una parte, Christus erat physicè impeccabilis: ex altera, semel prohibitum, quod non potest non prohiberi, nunquam potest esse bonum, & semel mandatum, quod debet mandari, non potest non esse mandatum, adeoque non observatum à Christo. Solum ergo salvanda est libertas Christi, in illis, quæ poterant illi non mandari, v.g. in subeundâ morte; sit

Pun-

Punctum Difficultatis 1.

Inuitur modus id explicandi.

MODUS EXPLICANDI Christi libertatem, ut explanetur.

PRÆMITTO 1. *Subsistentiam quā talem, non determinare, ut hoc agas, vel non agas, vel ne agere possis oppositum.*

RATIO. Tum quia id spectat ad principium elicivum, quod subsistentia quā talis non est. Tum quia subsistentia quā talis, & sphaera ejus, non est, nisi terminare: hinc extra suam sphaeram ageret, si determinaret, ut hoc potius agatur, quā illud; vel, ut hoc potius possit agi, & non hoc. Tum quia defacto Christus non habet personam humanam, & tamē habet principium humanum, quo se ad hoc vel illud determinet, vel determinare possit; habet enim voluntatem humanam liberam: ergo apparet, id non esse de ratione subsistentiæ: Quod si non est subsistentiæ, determinare voluntatem, ut hoc potius quā illud agat, vel agere possit; hoc ipso accessus subsistentiæ, etiam divini, determinationem illam non afferet, sed illam ponendam relinquet voluntati.

PRÆMITTO 2. *Quamvis subsistentia non determinet, ut hoc potius, quā illud agatur; antecederet tamen ante omnem determinationem, quā se voluntas determinat, ad hoc potius agendum, quā illud, vel non agendum simpliciter, determinat subsistentia, ut voluntas non possit agere nisi actiones hominis; licet in voluntatis humane sit potestate, has potius quā illas actiones agere.*

Quod subsistentia determinet ad hoc,

RATIO est: quia secundum conditionem suppositi, est talitas operationis; cum actiones sint suppositorum. Hinc, si per possibile, vel impossibile, naturam Petri terminaret persona Raphaëlis, determinaret illud suppositum, ut operationes sint Raphaëlis.

Quod autem antecederet hanc determinationem ponat subsistentia.

RATIO est: quia subsistentia, quamvis non influat physicè efficienter, in actiones, est tamen complementum antecederet prærequisitum ante agendum: ergo & antecederet determinativum; cum ipsa illā completionem determinet.

PRÆMITTO 3. *Cum in Christo sit subsistentia divina, quæ & divina est, & simul supplet id quod faceret subsistentia propria, quæ determinaret ad esse operationem personæ humanæ; fit, ut ratione illarum duarum formalitatum, determinet naturam humanam, ad exercendas operationes Dei viriles, seu Theandricas.*

RATIO est: quia illæ operationes non sunt jam suppositi humani, & tamen sunt naturæ humanæ: ergo debent esse, de utroque hoc participant, adeoque Dei-viriles.

PRÆMITTO 4. *Posito, quod suppositum divinum determinet, non nisi ad operationes Dei-viriles, seu esse divinum ratione suppositi participantis; fit, ut potuerit mori & non mori.*

RATIO. Quia & mori, & non mori, poterat esse actio divina, & sic de reliquis. Actiones tamen peccaminosas Christus exercere non potuit; quia illæ, quæ tales, non possunt esse divini, nec Theandricæ.

PRÆMITTO 5. *Non fuisse Christo liberum, nec debuisse esse, ut faceret operationes non nisi Theandricas, seu Dei-viriles.*

RATIO: quia etiam non est in potestate, & libertate hominis, ut non exerceat operationes hominis: ergo nec erat in potestate Christi, ut si vellet, Dei-viriles operationes non faceret; nec in ordine ad hoc, salvari debet Christi libertas. *Ex his*

COLLIGES 1. Non fuisse Christum indifferentem, ut peccaret, vel non peccaret: quia non erat indifferens, ne exerceat Theandricas operationes. Fuisse autem indifferentem ut v. g. moreretur, vel non moreretur: quia utrumque poterat esse Theandrica actio.

COLLIGES 2. Mansisse adhuc indifferentem voluntatem Christi, etiam supposito interventu subsistentiæ divini, ad moriendum, & non moriendum. Jus enim hæc determinandi subsistentiæ non convenit.

COLLIGES 3. Si quæras, an liberum fuerit Christo, mori, vel non mori? respondebitur, fuit: idque tam ex parte voluntatis, à qua poterat proficisci, non mori, tanquam Theandrica actio; quā ex parte subsistentiæ: quia hujus, non est determinare ad unum agendorum, sed tantum, ut dixi, determinare, ut actiones quæ ponuntur, sint Theandricæ, perque hoc jam salvabitur libertas quoad substantiam moriendi.

Quod si ulterius urgeas: Ergo potuit peccare, & non peccare: Respondetur, potuit non peccare: quia non peccare potest esse actio Theandrica; sed non potuit peccare, quia peccare, non potest esse actio Dei-virilis.

Neque inde sequitur, Christi libertatem per hoc diminui; quia Christi libertas in his debet salvari, in quibus proportionaliter salvari deberet, si haberet personam humanam. Sicut ergo, si haberet personam humanam, non esset liber ad exercendas operationes hominis, vel non exercendas; sic nec debet esse liber ad exercendas, vel non exercendas, operationes Dei-viriles. Et quia peccare, non potest esse actio Dei-virilis; nec debet habere libertatem peccati. Hinc, si detur prædeterminatio, ad non peccandum, in puro homine, destruet illius libertatem; quia hoc, quod est peccare, potest habere rationem operationis etiam humanæ; peccatum autem non potest habere rationem operationis Dei-virilis.

Ex his Præmissis & Collectis

*r 4

Ex-

EXPLICATIO hæc stabit in hoc. Liberè Christus est mortuus, quia nec à sua voluntate, nec à persona divina determinabatur, ut non nisi moreretur.

Nihilominus tentandus est alius modus id explicandi. Imprimis, quia hic modus explicandi libertatem Christi, non fundatur in ullis Patrum sententiis, ad quas Theologo attendendum. Deinde, quia posito præcepto de moriendo, si liberum fuit Christo non mori; hoc ipso, & non liberum fuit Christo peccare, ut supponitur; & liberum: quod probatur. Quia ipsum non mori, dato illo præcepto, esset ipsissimum peccare. *Neque valet* si recurras ad collationem auxiliorum non nisi efficacium: quia auxilia etiam efficacia, faciunt quidem ne peccetur, sed non faciunt, ne possit peccari; Christus autem non poterat peccasse, & si comminiscaris auxilia, cum quibus non potuisset peccare, de illis redibit quæstio, qui salvent libertatem moriendi? Posset tamen recurri ad hoc, quod ipsum non mori, sit peccare, in quantum non mori haberet rationem non divini: quia autem in Christo haberet rationem divini, ideo non esset ipsissimum peccare, nec debet servari libertas Christi, ut non fervet præceptum; sed libertas, circa substantiam & objectum præcepti. Objectum autem est hic, v. g. mors: & tamen ex dictis, non mori, poterat esse actio divina, ex quo inferes, liberum illi fuisse, non mori; consequenter liberè esse mortuum. Proponitur tamen hic modus, aut impugnandus, aut illustrandus. *Ad alium modum accedendo, sit*

Punctum Difficultatis 2.

Stabilitur alius modus.

PRÆMITTO 1. *In explicanda libertate Christi, attendendum est, ut salvetur infallibilitas agendi præceptum; cum Christus, utpote essentia- liter impeccabilis, non possit illud non servare. Et simul, ut salvetur libertas, salvanda est indifferentia agendi illa præcepta.*

PRÆMITTO 2. *Non debere, infallibilitatem & indifferentiam, ratione ejusdem salvari.*

RATIO: Quia in aliis, in quibus salvatur libertas, & infallibilitas, sub alia libertas; ut notum est, ex materia de gratia efficaci; ex materia de scientia Dei, præcedente eventus liberos, libertatem tamen non auferente. Quod ipsum in hoc fundatur: quia indifferentia non dicit adstrictionem ad unum, dicit infallibilitas: ergo à diversis principiis sumi debet; nam unum idemque non potest esse determinatum ad unum, & non determinatum ad unum.

PRÆMITTO 3. *Infallibilitatem, & libertatem, duplicem posse spectari. Imprimis, infallibilitatem & libertatem, respectu gratiarum qua*

Christo conferebantur, & hæc salvari debet, secundum principia de efficacia. Deinde spectari potest infallibilitas, & vel maximè libertas, comparativè ad impeccabilitatem; & quidem infallibilitas desumetur ab impeccabilitate; à qua non desumetur jam libertas, ob allata, hinc ad aliud ejus salvandæ principium inquirendum.

PRÆMITTO 4. *In primo signo rationis, absolute mandata est Christo, salvatio & sanctificatio generis humani, non determinando modum redimendi.*

RATIO asserti, quoad primam partem, est. Quia intentio finis, prior est signo, reliquis aliis; sed intentio salvandi, & sanctificandi, est finis intentus à Deo in Incarnatione: *Descendit enim propter nostram salutem.* Et, *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio nostra.* Ergo hæc debuit primò intendi.

Quod autem præceptum fuerit, hic illi finis.

RATIO est, illud Joan. 10. *Mandatum dedit mihi Pater: Idem habet Paulus ad Philip. 2. ad Rom. 5. Clarus est & ille locus: Non veni facere voluntatem ejus, qui misit me, Patris. Voluntas autem hæc, ut dictum, est sanctificatio nostra.*

Quod tandem non sit, pro illo signo, determinatus modus salvandi, & sanctificandi.

RATIO est. Tum quia, ex una parte, id fieri potest, ut intendatur finis, non intendendo, pro eodem signo, determinatè media; si finis pluribus modis obtineri possit, ut dictum supra. Tum quia, si concipiatur determinatus fuisse Christus, etiam quoad media, intelligi non poterunt commodè loci Scripturæ, infra citandi. Tum quia, quamvis non ponatur, Christus determinatus fuisse, quoad media, adhuc poterit in illo salvari perfecta obedientia; & simul consuletur dignitati Christi, nam etiam in humanis, summi Principes, imperando aliquid, prudenti & honorato subdito, imperant finem, remittendo ejus discretionem media. Unde illud est; *Sapientem mittas, nihil ei dicas.*

PRÆMITTO 5. *In secundo signo rationis, vidit Christus indifferentem voluntatem divinam, ut vel medio opprobrii, vel medio glorioso, salvaret mundum, remittitq; hoc sibi ad electionem.*

RATIO hujus & prioris præmissi, est Autoritas Patrum.

I. **A**UTHORITAS est Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 8. ubi interpretans illa verba; *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et; *Fiat voluntas tua.* Voluntatem autem, inquit, Patris dicit; non quoniam maluerit Pater mortem Filii, quam vitam; sed quia humanum genus restaurari volebat Pater, nisi faceret homo, tam magnum aliquid, sicut erat mors illa: idcirco dicit filius, illum velle suam mortem; quam ipse maluit pati, quam ut genus humanum non salvaretur. En refertur patiendi præceptum, seu voluntas Patris ut pateretur, in ly *Maluit pati,* ostendi-

ostenditurque non fuisse determinatum illi medium moriendi; negatur enim maluisse Patrem mortem filii.

2. **AUTHORITAS** ejusdem, affirmantis, ut etiam meminit Suarez, quod non fuerit directe præceptum Christo, ut moreretur; sed ut veritatem prædicaret. Ergo apparet, indifferentem fuisse Patrem, ut moreretur; & non determinasse illi medium moriendi, & si alicubi videtur contrarius Anselmus, explicandus erit secundum dicenda.

3. **AUTHORITAS** est Gregorii Niss. de beatitudinibus, circa illud: *Beati qui esuriunt, ubi locum illi, Meus cibus est, ut faciam voluntatem, ejus qui misit me, Patris sic interpretatur. Ut sanctificationem, inquit, nostram operaretur, sicut sibi erat à Patre præscriptum.* Ubi advertit, præceptam sanctificationem, sed non determinatam mortem; adeoque Patrem, ad hoc medium, non fuisse determinantem.

PRÆMITTO 6. In tertio signorationis, intellexisse Christum inclinationem Patris, ut cruce salvaret mundum, tamen cum omnimoda remissione ad voluntatem Christi.

RATIO asserti, sit ab autoritate.

1. **AUTHORITAS** Cyrilli Alexandrini lib. 10. in Joan. *igitur habes inquit, in voluntaria subjectione, Paternorum consiliorum executionem; quæ & mandatorum loco, apud se esse, in ea quam ad illum habet, oratione, Filius asserit. Nam ut pote Verbum, consilia Patris intelligeret, & genitoris sui profunda scrutaretur. Sive potius, cura sit ipse Sapientia Patris, & virtus, quod huic visum est, re ipsa præstat, & præcepti loco habet.* Ubi inclinatio illa exprimitur, per ly, *Quod huic visum.* Exprimitur item, determinationem hanc Christo commissam, per ly, *In voluntaria subjectione, Paternorum consiliorum.*

2. **AUTHORITAS** ejusdem lib. 7. in Joan. cap. 7. *Nihil aliud, inquit, mandatum hic dicitur; quam ea Filii, quæ ad Patrem est, concordia; nempe beneplacito Patris, Filius mortem passus est.* Ergo debet signum rationis assignari, in quo agnovit istud beneplacitum.

3. **AUTHORITAS** est Ambrosii lib. 4. de Fide cap. 5. *Sicut potestatis, inquit, suæ esse significat, ponere animam, & liberæ voluntatis; ita eam, quod secundum mandatum deposuit Patris, suæ ac Paternæ voluntatis significat unitatem.* Infer; ergo debuit voluntas illa Patris videri, secundum quam inclinabatur, ut potius moreretur Filius.

PRÆMITTO 7. In 4. signo, determinasse se Christum liberè, ad salvandum mundum, potius per opprobrium crucis.

RATIO 1. Præmissi est Scriptura. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ubi non significatur oblatus esse, quia mandatum est illi, ut se offerret; sed pro ratione offerendi redditur: *quia ipse voluit.*

2. **Locus.** *Proposito, inquit, sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Ubi ostendi-

tur, sub electionem Christi cecidisse, gaudium & crucem.

3. **Locus** est Joan. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam & iterum sumo eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: & potestatem habeo ponendi eam, potestatem habeo, iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo.* Quasi diceret Christus, mandatum est, quod unum determinat, libertas ad utrumque: habeo potestatem utriusque, & ponendæ, & non ponendæ animæ, idque ex voluntate, & dispositione, seu mandato Patris, qui mihi utriusque hujus potestatem; hoc est, optionem dedit. Mandatum accepi ponendæ animæ, quia pono eam à me ipso. Eodem revocari debet; *Humiliavit semetipsum Dominus IESVS, factus obediens, ubi præcessit, humiliavit, hoc est, obtulit se ad mortem; & sequitur mandatum, factus obediens.*

RATIO 2. autoritas Patrum.

1. **AUTHORITAS** est Augustini lib. 83. questionum, quæst. 80. Ubi dicit, Christum sic Passionem animi, hoc est affectiones, voluntariâ dispensatione, veras tamen, ut placuit, suscepisse; quemadmodum passionem corporis, eadem dispensationis voluntate, sine ulla necessitate suscepit. Nomine autem dispensationis, non intelligit Augustinus aliud, quam voluntariam determinationem.

2. **AUTHORITAS** Chrysostomi homil. 29. in Joan. *Priusne ergo accepit mandatum, & inde paruit? quis enim expers rationis hoc dixerit? & hom. 28. in Epist. ad Hebr. ubi illa verba, Proposito sibi gaudio, sic explicat, hoc est, inquit, liceat ipsi nihil perpeti, si voluisset.* Similia habet ad illa verba. *Et enim Christus non sibi placuit.*

3. **AUTHORITAS** est Theophylacti & Oecumenii in citatum locum. *Qui proposito. Licebat, inquit, ipsi, cum gloria & gaudio in mundo vivere; quippe ita loquitur: potestatem habeo ponendi animam meam & accipiendi ipsam; verum hoc noluit.* Et S. Thomas in Epist. ad Romanos cap. 8. *Tradidit, inquit, cum Deus Pater in mortem, cum incarnari, & pati statuendo, & humana ejus voluntatis inspiciendo Charitatis affectum, quæ passionem spontaneus subiret.* Qui etiam locus valet pro superiore præmissio.

In ultimo tamen signo rationis, Deus, visâ hac determinatione Christi, formavit mandatum, ut moreretur.

RATIO 1. asserti, imprimis locus ille scripture, ubi, postquam dicitur, Christum se humiliasse, videlicet acceptione crucis, confusione contemptâ; sequitur, quod sit factus obediens; quæ obedientia sine præcepto commodè intelligi non potest. Eo servit & ille locus. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, quasi diceret; primum voluisti ut sanctificarem genus humanum: voluntas enim Dei sanctificatio nostra: Deus meus volui, quasi diceret.*

ceret; obtulime etiam ad moriendum, pro hac sanctificatione; ubi præintellexi te ad hoc esse inclinatum. *Et legem tuam in medio cordis mei:* quasi diceret; & tu posuisti mandatum, & legem, ut ita fieret, quam ego acceptavi corde meo, de quo etiam vide Agathonem Papam in Epist. 1. quæ refertur in 6. Synodo, actione 4.

RATIO 2. est autoritas Patrum.

1. SIT THEOPHILACTI in cap. 14. Joan. ubi verba illa; *Mandatum dedit mihi Pater*, interpretans; *Mandatum*, inquit, *dedit mihi Pater; hoc est, voluit, dixit, approbavit, decretum.* At vero approbare, & simul decernere, non est ante determinationem alijs: quæ enim præcesserunt, hæc approbantur.

2. AUTHORITAS est citati Ambrosii, ubi agnoscit, quod ex libera voluntate posuerit animam, & simul secundum mandatum Patris.

RATIO 3. asserti. Quia actiones nostræ bonæ, post consultam nostram libertatem, per scientiam conditionatam, prædefiniuntur à Deo; ergo & mandari poterant Christo.

RESPONDET Pater Morawski hic quæst. 3. Artic. 2. disparem esse rationem. Nam scientia conditionata, præcedens prædefinitionem actus nostri, repræsentat eundem omnino actum nostrum, conditionatè futurum, qui absolute est futurus; at vero scientia conditionata, præcedens præceptum rigorosum, de morte Christi, non repræsentat eandem electionem Christi circa mortem; quæ electio est absolute futura. Siquidem electio absolute futura, est obedientia, seu actus dependens à præcepto: Scientia autem conditionata non repræsentat obedientiam Christi; seu actum pendente à præcepto.

CONTRA. Quantumvis scientia conditionata non repræsentat actum conditionatum, ante scientiam conditionatam prædefinitum, licet actus pro statu absolute prævideatur prædefinitus: nihilominus id salvat libertatem, nec alius actus prævidetur pro statu conditionato, alius pro absolute; ergo etiam, quantumvis antecederet ante scientiam conditionatam, non prævideatur mors Christi ex obedientia, prævideatur autem pro statu absolute: adhuc & libertas salvabitur, & idem actus videbitur. Quod ulterius in hoc resolvitur. Quia idem quidem debet prævideri actus, quoad entitatem, sed non est necesse, eundem prævideri, quoad formalitates desumibiles ex statu, vel scientia statûs: ut ex scientia statûs conditionati formatur præceptum moriendi. Addo, modum hunc explicandi, perfectiorem arguere in Christo obedientiam, quam si immediate præceptam sibi acceptasset mortem, dicit enim S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2. Tantò videri perfectiorem obedientiam, quantò, expressum præceptum, obediendo prævenit inferior, voluntate superioris intellectâ, talem autem nos obedientiam Christi ponimus; dum ex cognita voluntate Patris,

in tertio signo rationis, determinavit sese ad illam, in quarto signo rationis.

Punctum Difficultatis 3.

Colligitur Responsio & solvuntur objectiones.

DICENDUM est. *Salvari Christi libertatem, in observando præcepto, v. g. mortis; quia datum est mandatum Christo moriendi, post præconsultam ejusdem libertatem, quid esset acturus? Est hæc sententia in substantia Suarii, si legatur.*

PROBATUR 1. Conclusio autoritate S. Thomæ. Quia hic modus ita salvat libertatem Christi, comparative ad ejus impeccabilitatem: sicut salvatur libertas, comparative ad gratiam efficacem; nempe per liberam operantis determinationem. Jam autem S. Thomas (ut meminit Suar. disp. 37. Sect. 3. §. *Superest tamen*) eandem esse dicit rationem in Christo, quoad hoc, ac circa gratiam efficacem.

PROBATUR 2. Quia quotiescunq; aliquid fit, & non potest non fieri, liberè tamen fit; toties libertas non potest salvari, nisi quod oriatur hæc necessitas ex suppositione consequenti: sed passio Christi ita est facta, ut non potuerit non fieri, & tamen dicitur liberè facta; ergo libertas illius debet peti, ex suppositione consequenti, adeoque determinatione factâ primùm ab ipso Christo. Major probatur: Quia libertas non potest salvari, nisi, vel quod actio possit impediri impeditis principiis; vel quod, si non potest impediri, oriatur id ex mea determinatione; ut notum est ex assibi dictis: ergo, cum non possit salvari in indifferentia ratione principiorum, ne præceptum impleatur, cum Christus sit physice impeccabilis, adeoque impos non servare præceptum: debebit illa libertas salvari ex illius determinatione; per quam Christi impeccabilitatem, minor etiam probari debet.

PROBATUR 3. Quia in præsentia, iis satisfactum est, quæ difficultatem habent. *Primo* ad salvandas phrasas sacras, ponendum est præceptum rigorosum datum Christo; ponimus illud in primo & ultimo signo. *Secundo*, componi debet libertas: & hoc factum; cò quod præceptum moriendi, in ultimo signo, sit datum non nisi post liberam determinationem Christi, v. g. ad mortem. *Tertio* ostendenda erat libertas, non tantum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam moriendi: salvatur id per nos; cum Christus ad substantiam moriendi se determinarit, latumque est illi præceptum de ipsa morte.

OBJICITUR 1. Quod immeritò salvationem nostram, dependentem potiùs à voluntate Christi, quam à voluntate Dei, faciamus.

RESPONDETUR. Ponimus salvationem nostram, potiùs dependentem à voluntate Dei, quia latum est illi præceptum rigorosum, de illa,

sine

sine ulla præconsultatione libertatis Christi; ut videre fuit in primo signo rationis.

Objicitur 2. Si ex libera Christi determinatione est factum, ut moreretur; cur dicit, *Si possibile est, transcat calix.*

RESPONDETUR. Dicit id, ex mente Patrum, ut ostendat se veras passiones habere, adeoque timorem mortis, vel id dixit, ratione præcepti jam sibi impositi.

INSTABIS. Hanc explicationem non ostendere verum mandatum; quia hoc mandatum nullo distinguitur à prædefinitionibus: & tamen prædefinitiones non sunt mandata.

RESPONDETUR. Quid si quis diceret, etiam prædefinitiones esse mandata? Sed quidquid sit de hoc, ex alio id principio solvitur: nempe quod in re, & à parte Dei, mandatum & prædefinitio sit idem; sunt enim actus Dei, adeoque idemmet Deus; per ordinem autem ad connotata, per ordinem ad æquivalentiam, per ordinem ad proportionem cum creatis, discernuntur. Nam prædefinitio indicat non nisi appetitum Dei, quo appetit effectum v. g. gratiosum: qui appetitus fundatur in ejus sanctitate, & communicativitate sui; jam autem mandatum importat ordinationem, oriundam à titulo superioritatis; & procedit, secundum dominiū jurisdictionis, de quo in materia de justitia.

Objicitur 3. Totam hanc difficultatem moveri posse, de illo præcepto, facto in primo signo rationis; adeoque nos non respondere difficultati, sed solum materiā difficultatis mutare.

RESPONDETUR. Ad hoc esse responsum, de quo agitur difficultas maximè, nempe de morte & meritis. Nec in ordine ad hoc, debet salvari libertas Christi, ut nos sanctificaret, vel non sanctificaret: hoc enim, quod est nos sanctificare, oriebatur ex decreto facto, ut esset Christus caput gratiam & gloriam influens. Porro non erat liberum Christo, ut esset tale caput; cum motivum capitis, præcesserit decretam substantiam Incarnationis, respectu cujus, illud motivum habuit se per modum causæ, adeoque antecedentis. Si autem illud motivum præcessit ipsam substantiam Incarnationis; hoc ipso præcessit ipsam libertatem Christi: cum libertas Christi supponat ipsam substantiam Christi. Quod si motivum capitis præcessit ipsam libertatem Christi; præcedere etiam debuit id, quod est innexum illi ipsi formalitati capitis: formalitati autem capitis innectitur sanctificatio nostra.

DIFFICULTAS V.

Potuitne Christo dari Præceptum rigorosum?

Hæcenus dicta supponunt, Christo præceptam esse mortem: potest autem dubitari, An Christus capax fuerit præcepti, intellige, rigorosi: Tractat hanc quæstionem Aldrete disp.

73. & affirmat, Christum, quamvis non esset capax præcepti comminativi & coactivi, ut habetur sect. 3. n. 7. Fuisse tamen capacem præcepti in conscientia obligantis: ut habetur sect. 4. n. 1. Contra Esparza quæst. 32. docet, Christum esse incapacem præcepti, obligantis in conscientia. *Pensande sunt imprimis rationes utriusque partis.*

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta partis affirmantis.

EXPENDUNTUR ea, quæ disputat Aldrete disp. 73.

1. ARGUMENTUM ab autoritate.

1. AUTHORITY est Joan. 10. *Mandatum accepi à Patre meo.* Similia habentur Joan. 14. quæ accipi de proprio præcepto, nullum est incommodum.

RESPONDETUR. Esse incommodum, ob argumenta inferius ponenda. Deinde, procedit id, de præcepto respectu eorum, quæ poterant præcipi, & non præcipi, adeoque à Christo, salvâ suâ impeccabilitate, fieri vel non fieri: non autem de illis, quæ non poterant honesta actione exerceri: ita tamen, ut etiam respectu illorum priorum, non sit latum præceptum, cum omnibus circumstantiis, cum quibus fertur aliis, v. g. cum comminatione, item sine prævisione, quid esset factura creatura? quæ prævisio adhibetur in præceptis Christo latis, idque titulo tuendæ ejusdem libertatis.

INSTABIS. Ex Autoritate Augustini, tom. 4. lib. 2. de Sermone Domini in monte, condistinguentis observantiam consiliorum, ab observantia mandatorum, admittentisque utrumque in Christo.

RESPONDETUR. Concedo id distingui debere, & admitti in Christo; nam etiam respectu aliquorum, dicebat Deus, hoc bonum est factum, sed te ad hoc non obligo: in hocque stat consilium, respectu autem aliorum dicebat Deus, Fac hoc, obligo te ad hoc, à quibus ceteroqui potuisset abstinere, vel licitâ aliâ actione facere oppositum. Sed inde non sequitur, debere jam illud concedi præceptum, tanquam comminativum. Quando autem dicit Aldrete, non debere recurri ad improprias distinctiones præcepti, aliàs non rectè distingueret Augustinus præcepta à consiliis; qui non ignorabat, sub impropria acceptione præcepti, comprehendere divinum beneplacitum, id etiam non convincit. Quia nos respectu Christi admittimus, non solum beneplacitum divinum, sed etiam præceptum rigorosum, licet non cum imperfectionibus. Eodemque modo explicari debent Bernard - Tertullian - Laurent - Justinianus.

2. AUTHORITY itidem & Scriptura. Quia aliter loquitur Christus, de observatione consiliorum; v. g. *Si vis perfectus esse*, &c. aliter de observatione præceptorum; *Si vis ad vitam ingredi.*